

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Matrimonivm

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

illud est periculum in Iudicio verè sed appa-  
renter. Bassæ. V. Casus referu. §. 5. Vide insu-  
per. V. Votum. Et quoad Iuramentum De-  
finitorum &c. V. Definitor.

## MATRIMONIUM.

276. Scire debet Confessarius Regularis Im-  
pedimēta Matrimonij propter dispen-  
sationes.
277. Item aduertere, si occurrant ante Ma-  
trimonium contractum. 278. Vel  
postea. 279. An dubium. 280. Im-  
pediens, an dirimens?
281. Impedimenta Matrimonij impediētia.  
282. Dirimentia.
283. Regula cognoscendi gradus Consangui-  
nitatis.
284. Regula cognoscendi gradus affinitatis.
285. Cause Matrimoniales relinquenda Epi-  
scopis.
286. In quibus dispenset Pontifex. 287. Epi-  
scopi. 288. Regulares.
289. Priuilegium dispensandi ad pesendum  
debitum matrimoniale.
290. In petitione Dispensationis exprimenda  
impedimenta & causa.
291. Explicanda species, gradus & numeri.  
292. Coniunctim.
293. Causa dispensandi generales & speciales.

294. Executio Dispensationum committi so-  
let Vicarijs Episcoporum.
295. Pro foro Conscientia Magistro Theologiae  
vel Decretorum Doctore.
296. Obseruanda in executione Dispensatio-  
num Papalium.
297. Facta dispensatione quomodo innouan-  
dum Matrimonium?
298. Inualidum defectu consensus vtriusque.  
299. Vnius tantum.
300. Defectu impedimentorum aliorum. 301.  
Occultorum.

CCLXX-  
VI.

Confessori  
scitu ne-  
cessaria.

276. **Q**uanto minore[m] in hoc genere facultatem habent Confessarij Regulares, frequentissimi tamen casus, qui ad eos, tam intra, quam extra Confessionem deferuntur, palam faciunt, non modicam ipsis esse necessariam cognitionem, tum quid ipsi possint, tum vel maxime, quod, dato casu alicuius impedimenti, recurrendum sit, pro dispensatione? quomodo haec petenda sit? Quis obtentam exequi valeat? quae in executione seruanda? An & quomodo denique Matrimonium renouandum? Quae omnia hic pro comodo tam ipsorum Confessorum quam indigentium dispensatione breuiter expediam, si prius quaedam non minus proficua praenotauero.

277. Cum

277. Cùm dispensationes eiusmodi plerumque non sine difficultate, sumptibus, aliisque incommodis obtineantur, attendat inprimis Confessarius diligenter, num reuera sit opus tali dispensatione: & in Matrimonio invalidè contrahendo vel iam contracto, num ipsi contrahentes ignorantia vincibili vel inuincibili teneantur.

Si de Matrimonio nondum contracto, sed contrahendo res est, plerumque occultum eius impedimentum dirimens significandum est, si aliqualis sit spes, persuaderi posse penitenti, ut ab eo desistat, vel dispensationem impetret; partim ob reuerentiam Sacramenti, ne inualidè suscipiatur, partim ob alia multa incommoda, quæ ex inualido coniugio sequi solent.

Quod si contingat, impedimentum tale percipere, quando parata iam sunt omnia ad nuptias, eo adhuc mane aut vespere celebrandas, nec adest alia via euadendi infamiam vel suspensionem grauis delicti, si tunc non celebrentur nuptiæ, aiunt quidam ab Episcopo (cùm fuerit possibile) petendam esse dispensationem. Alij, quos refert Barbosa. de Potest. & Offic. Episc. alleg. 35. n. 3. consulendum, ut sponsa vel sponsus voueat Castitatem ad mensem, dein dicat Consanguineis aut etiam alijs, se voto Castitatis

Ces

adstrictum

CCLXX.  
VII.Aduer-  
da.Ante Ma-  
rimonium  
contra-  
ctum.

adstrictum esse, sibi que à Confessario mandatum, ut abstineat à Matrimonio, donec obtineatur dispensatio à Sede Apostolica; cauendo tamen, ne dicatur votum esse ad tempus, ne audientes asserant sufficere dispensationem Episcopi, sicque remedium eludatur. Aliam quandam viam excogitavit Beia p. 2. Cas. Consc. Casu 23. quem sequitur Pontius de Matr. l. 5. c. 35. secundum quã posset in eo casu contrahi ad omne peccatũ effugiendum, quando & Parochus impedimentum subesse nouit ex Confessione, & ipsi Contrahentes sine scandalo à Matrimonio desistere non possunt. Nimirum vt de communi scientia & consensu contrahant, non quidem intentione efficiendi verum Matrimonium de præsentì, sed sub conditione, si Papa dispenset; animo contrahendi tantum quoad domum velut fratres, non autem quoad thorũ, donec accedat dispensatio & iterum contrahant. Hac enim ratione contractus ille Matrimonialis, qui aliàs non licet, redderetur licitus, cum non sit prohibitũ contrahere de præsentì sub conditione, si Papa dispenses; & interim ad euitanda magna scandala, habitare in eadem domo; maximè cum iure ipso præfigatur bimestre tempus, in quo possint coniungi sponsi, licet habitent simul. Et posset etiam contrahi

contrahi cum conditione castæ viuendi, vt  
antedictum, siue sit conditio Castitatis ad  
tempus, siue perpetuæ. Et licet videantur se  
exponere periculo fornicandi, dum dispen-  
satio obtinetur, tamen id excusatur ex oc-  
currentia ingentis scandali, sicut etiam in  
materia de Confessione, quidam aiunt, li-  
citur esse non expellere domo eam scemi-  
nam, quæ est occasio peccandi, quando si-  
ne scandalo eijci non potest. Quod si velint  
eâ conditione contrahere & persistant à Pa-  
rocho petere, vt assistat, ait Pontius, debe-  
ret assistere licet nouerit impedimentum in  
Confessione.

278. Quando Confessarius deprehendit in Pœnitente impedimentum dirimens post contractum Matrimonium, attendat: vtrû ignorantiâ aliquâ laboret vel vincibili vel invincibili? Si videat teneri ignorantia invincibili juris aut facti, vel saltè mortali- ter nō culpabili; arbitretur verò ex admonitione nō secuturû fructum, sed potius animi inquietudinē, rixas, scandalum &c. dissimulare debet iuxta illud S. Aug. Hom. 41. *Inter 50. Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te tererem.* Quod si detectâ veritate speretur commodum maius quàm incommodum, aut imminet periculum damni communis, ex eo quod populus impedimentum hoc iam sciat; vel

CCLXX.  
VIII.  
*Post con-  
tractum.*

igno-

ignorantia sit vincibilis & mortaliter culpabilis &c. tenetur Confessarius eum admonere, quamvis admonitio profutura non sit, & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur.

CCLXX-

IX.

An dubi-  
um?

279. Quotiescunque Pœnitens ipse dubitans de Matrimonij valore, iure petendi debitum &c. ex Confessario quærit, debet ex communi sententia Confessarius veritatem tali manifestare; ita tamen vt si fructum non speret, plus non respondeat quàm interrogetur v. g. An Matrimonium contractum ab eo, qui ante Nuptias simplici Castitatis voto obstrictus erat, validum existat? Et an Vxori debitum reddere teneatur? Affirmet Confessarius vtrumque, interim tacens de obligatione non petendi debitum. Imò Laym. & alij plures penes Eligi. V. *Matrimonium. 8. in fine.* docent: Etsi Matrimonium ob latens impedimentum irritum sit, Confessarius suadere & præcipere potest pœnitenti inuincibili ignorantiam laboranti, vt coniugi petenti debitum reddat, quandoquidem stante vtriusque probabili ignorantiam ad hoc obligatus est.

CCLXXX.

Impediens  
an dire-  
mens?

280. Quando consideratis considerandis Dispensatio petenda est, considerandum est ipsius impedimenti qualitas;

an

an scilicet impediens tantum sit, vel dirimens? Iuris diuini, an Ecclesiastici? Naturalis, an positiuus? licet enim Ecclesia omnia impedimenta, & ab ipsa coniugum voluntate non pendentia, vt pendet consensus Matrimonialis, possit tollere, non tamen potest tollere dirimentia, nisi quæ sunt Iure Ecclesiastico constituta. Sunt verò impedimenta vtriusque generis, vulgatis istis versiculis comprehensa. Impedientia quidem isto: *Interdico, dies, crimen, sponsalia, votum.*

**Dirimentia verò sequentibus.**

*Error, conditio, votū, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, Vis, Ordo, ligamen,  
honestas;*

*Si sis affinis, si fortè coire nequibis,*

*Si Parochi & duplicis desit presertiatensis.*

*Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.*

281. Ex prima Classe, *Interdictum* CC-LXXXI. est Prohibitio Iudicis Ecclesiastici ex iusta causa quandoque personas contrahere prohibentis, donec aliqua causa vel impedimentum examinetur. *Dies*, tempus scilicet feriarum Aduentūs, & quadragesimæ, & *Crimen* Matrimonium impediunt Iure Ecclesiastico. Quanquàm crimen amplius non obstat ob contrariam consuetudinem

commu-

CC-LXXXI.  
Impedi-  
menta  
Matrimo-  
nia impe-  
dicentia.



communior sit sententia. *Sponsalia* prius cum alia Persona celebrata, naturalis Iustitiae debito, ut cum alia quis contrahat, praepediunt: Ita & *votum simplex* vel Iuramentum Castitatis, vel ingredienda Religionis, vel suscipiendi SS. Ordines, vel non nubendi, quae praeter naturalem non nubendi obligationem, aliam insuper inducunt non petendi debitum, sed diversimodè.

Habens votum Castitatis, non solum peccat mortaliter contrahendo sponsalia vel Matrimonium, sed etiam post contractum, petendo debitum, quousque ab eius obligatione liberetur, reddere tamen potest ac etiam tenetur coniugi exigenti. Idem est de voto non petendi debitum. Vouens Virginitatem, si clarè solum intendit abstinere primà vice à coitu carnali, per quem amittitur virginitas propriè dicta, post primum coitum non tenetur amplius ex tali voto, sed potest & reddere & petere debitum. Si verò dubitat, quid intenderit? Sanch. *l. 4. Moral. c. 21. n. 22.* ait teneri ad perpetuam castitatem. Portel. *V. Votum. in addit. n. 50.* solum obligat ad absterentiam primi coitus. Qui votum habet non nubendi, peccat mortaliter nubendo, contracto tamen Matrimonio potest petere & reddere debitum. Habens votum non fornicandi,

non

non tenetur ex vi voti abstinere ab actu licito Matrimoniali. Qui vouit Religionem, & tali voto non obstante contrahit Matrimonium, peccat mortaliter consummans siue petendo, siue reddendo primâ vice, ac post consummationem non peccat petendo vel reddendo, etiamsi promiserit perseuerantiam in Religione: ac si mortuâ coniuge talis superuiuat, tenetur adhuc intrare Religionem. Qui vouit Religionem ingredi aut in ea profiteri, sed ad Religionis ingressum, vel ad professionem non fuit admissus, vel fuit eiectus, non tenetur ex vi voti ad seruandam castitatem (nisi principaliter vouerit castitatem & Religionem) neque ad alia Religionis onera. Vnde qui vouit Religionem, & ad illam in perpetuû non admittitur, potest in sæculo manens Matrimonium inire. Plura de his Sanch. Pœnel. l. cc. & P. Elig. V. Vorum. 3.

282. Ex altera classe, Error circa substantiam Personæ uel etiam qualitatem solùm, quando hæc apponitur per modum cõditionis in ipso cõtractu Matrimoniali, siue exprimatur uerbis, siue mente contractantis retenta sit, vel si redundat in errorem Personæ, quod fit, quando qualitas, in qua erratur, designat aliquam certam & determinatam Personam distinctam ab eâ, quæ

CC.  
LXXXII.  
Distinctionibus

quæ præfens est: Et *impotentia*, si perpetua sit & Matrimonium antecedit, Iure naturali Matrimonium dirimit. *Violentia seu metus, servitus, Cognatio Spirituality & legalis, Crimen, disparitas cultus, Ordo, publica honestas, & votum solenne Castitatis* emissum in Professione valida Religionis approbatæ, Ecclesiastico Iure Matrimonium subsequens dirimunt. *Ligamen* Iure diuino. *Cognatio carnalis siue Consanguinitas*, Iure naturæ irritum facit Matrimonium in primotantum gradu lineæ rectæ (quidam asserunt de toto ordine ascendentium & descendentium) & ex probabiliori, etiam transversæ. Iure autem Ecclesiastico vsque ad quartum gradum inclusivè, tam in lineâ rectâ quàm transversâ. *Affinitas* ex copula licita seu coniugali, Ecclesiastico Iure dirimit Matrimonium vsque ad quartum gradum inclusivè. Ex illicita verò vsque ad secundum gradum inclusivè tantum, ex Iure novo Trid. sess. 24. c. 4. *Affinitas* quæ contrahitur post initum Matrimonium, cum scilicet coniux scienter adulterat cum consanguineo seu consanguinea coniugis primi & secundi gradus, etsi Matrimonium illud iam contractum non dirimat, priuat tamen Iure petendi debitum, quantumvis copula sit occulta, & ante omnem Iudicis

sententiæ

sententiam; tenetur autem reddere, nisi & alter coniunx in adulterium consenserit. Dixi, *scienter adulterat, &c.* Quamuis enim quis habeat scientiam legis & facti, nescit autem ex huiusmodi copula cum consanguinea vxoris in primo & secundo gradu consurgere priuationem juris petendi debitum ab vxore, valde probabile est, hunc non priuari jure petendi, quia ignorantia pœnæ sicut excusat ab incurrenda Excommunicatione, Irregularitate ex delicto, & alijs censuris, ita ab incurrenda priuatione juris debitum petendi. P. Elig. V. *Debitum Coniugale. l. n. 16.* An Incestus cum propria consanguinea similiter impediat petitionem quæri potest: sed negativa est communis, quia nec inducit affinitatem, nec inuenitur in jure. Syluius p. 3. in suppl. q. 58. a. 4. Elig. cit. Incurritur autem in cognatione spiritali, ut cum quis scienter aut ex malitia extra necessitatē baptizat, aut tanquam Patrinus in Baptismo vel Confirmatione tenet communem filium, aut proprium alterius coniugis. Quamquam hunc etiam non priuari jure petendi debitum, licet grauissimè peccet, tenent non improbabiler plures apud eundem Elig. cit. n. 13. Chassain. de Priu. Regul. tr. 5. c. 5. prop. 5. absolutè negat huiusmodi pœnā incurri, nisi per Baptismum solennem. Dd 283.

CCLXXX-

III.  
Graduum  
Consan-  
guinita-  
tis.

Regula 1.

283. Ad computandos gradus consanguinitatis, ut scilicet, cognoscatur in quo gradu vnus consanguineus existat cū alio, triplex à D. Thom. 4. d. 40. q. 1. a. 2. quem ceteri DD. sequuntur, Regula assignatur.

Prima Regula, In linea recta ascendentium & descendentium hæc est: *Tot sunt gradus, quot personæ demptâ vnâ personâ, scilicet, stipite.* Propterea cū Pater & filius sint duæ personæ, si stipitem demas, id est, Patrem, Pater & filius erunt in primo gradu, eo quòd dempto stipite remaneat vna persona. Similiter Pater & Nepos sunt in secundo gradu, eo quòd sint tot gradus, quot sunt personæ, demptâ vnâ; Personæ autem in hoc casu sunt tres connumeratæ, videlicet, Pater, filius & nepos.

Regula 2.

Secunda Reg. *Quando personæ, quarum gradus queruntur, sunt in linea transversa æquali, eodē gradu distant inter se, quo distant à communi utriusque stipite proximo;* ut duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distant à primo stipite, in quo coniunguntur, qui est Parens. Filij duorum fratrum consanguinei in secundo gradu, quia in eodem coniunguntur in communi utriusque stipite proximo, qui est avus.

Regula 3.

Tertia Reg. *Quoties personæ consanguineæ in linea transversa distant inæqualiter à commu-*

communi stipite, eo gradu distant inter se, quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite, vt Patruus & filius ex fratre distant inæqualiter ab auo, in quo vniuntur, ille enim distat in primo gradu, hic verò in secundo, vtpotè qui est eius nepos, alter verò eius filius, distabunt igitur inter se, in secundo consanguinitatis gradu.

CCLXXX.  
IV.Gradus  
affinitatis.CCLXXX.  
V.Causa ma-  
rimonialis relin-  
quenda  
p[re]s. Episcopi.

284. Affinitatis gradus numerantur, sicut in consanguinitate, nam quoto gradu quis consanguineus est viri vel feminae cognita, eodem est affinis alteri coniugi; Et mensurantur gradus inter affines iuxta gradus consanguinitatis: Quare stipes in affinitate dicitur duplex illa persona, quæ per carnis copulam commiscetur, cum vtraque sit origo & radix huius affinitatis. Vnde linea affinitatis est duplex, sicut & consanguinitatis, quædam est recta ascendentium & descendentium: ascendentes sunt Socer, Vetricus, Nouerca; descendentes sunt Gener, Nurus, Priuignus, & Priuigna. Alia verò est linea transversa collateralium: hi sunt qui alterutri coniugi sunt consanguinei in linea transversa, nã alteri sunt affines in eodem gradu lineæ transversæ. Bassæ, to. I. V.

Matrimonium 7. n. 60. &amp; 68.

285. Equum & iustum est, suæ quem-  
uis potestatis cancellis contentum viuere,

Dd 2

p[re]s. Episcopi.

præsertim verò Regulares, qui cùm in sub-  
sidium Cleri sæcularis vocati, in externos  
etiam jurisdictionem accipiunt, quæ forum  
conscientiæ vix aut nunquam excedit, ad  
causas & actiones exteriores fori spectan-  
tes, manum extendere prorsùs dedecet;  
maximè autem Matrimoniales, & ab his  
dependentes, vti sunt sponsalia tam de fu-  
turo, quàm de præsentì, Impedimenta quæ-  
cunque, & alia huiusmodi, quæ cùm SS.  
Canones Ordinarijs locorum (vt ex Con-  
stitutionibus Synodal. Constant. p. 1. tit. 16.  
n. 43. liquet) singulariter referuent, in ea  
se se ingerere, quomodocunque alij neuti-  
quam debent. Quare cùm Confessarijs  
eiusmodi negotia quandoque deferantur,  
nouerint ea ad suum proprium forum re-  
mittere; Dispensationes etiam ipsis Paro-  
chis per Episcopalis Consistorij Ministros,  
solicitandas seu procurandas, relinquere,  
maximè in rebus notorijs & publicis. In  
occultis nonnunquam, non tam charitas  
suadet, quàm necessitas vrget, auxiliatrices  
pœnitentibus manus porrigere, eum igitur  
in finem, ad quæ sita initio tituli propolita,  
sequentes adiungo resolutiones.

CCLXXX. §. I. *A QVO DISPENSATIO*  
VI. *petenda sit?*

*In quibus  
dispenses  
Papa.*

286.

**S**ummus Pontifex non potest dis-  
penfa-

pensare in Impedimentis dirimentibus ex jure naturali aut diuino cōsurgentibus, præter votum, quod remittere potest potestate non quidem ordinariâ, sed commissione extraordinariâ per Christum D. illi traditâ Ioan. c. 21. *Pasce oues meas, &c.* vt patet ex vsu Ecclesiæ. Alia tam impediencia, quàm dirimentia, cùm jure solùm Ecclesiastico statuta sint, eodem etiam relaxari possunt. Petitur autem ab illo Dispensatio per D. Nuncium Apostolicum.

287. Episcopus dispensare potest 1. In Impedimentis non dirimentibus, excepto voto Castitatis perpetuæ, Religionis, & impedimento proueniente ex sponsalibus contractis cum alia, in quo, teste Pontio de *Marr. l. 8. c. 13.* solus Pontifex dispensat, & nõ nisi in casu necessitatis. 2. In dirimentibus etiam post contractum Matrimonium, quæ jure naturali non dirimunt, quando impedimentum est occultum, & Matrimonium est publicum, atque aliter obuiari non potest grauibus incommodis scandali, infamiæ, & aliis: nec ad S. Pontificem vel ad eius Nuncium patet recursus, propter paupertatem, aut locorum distantiam, seu alia legitima impedimenta, ex tacita facultate Papæ, pro foro conscientie. Bassæ. *to. 1. V. Matrimonium. 9. n. 3. cum alijs multis.*

CCLXXX.

VII.

Episcopi.

Dd 3

Pontius



Pontius l. 8. de Matr. c. 13. n. 5. de hac ultima limitatione dubitat. Idem verò n. 4. cum alijs communiter requirit, vt Matrimonium sit contractum bonâ fide vel vtriusque, vel vnus saltem ex contrahentibus. Quidam tamen apud Dian. p. 5. tr. 14. Res. 18. probabile putant Episcopum posse dispensare, licet malâ fide cum impedimento dirimente contractum sit. In casu etiam impedimenti publici, post contractum bonâ fide matrimonium, cùm à S. Pontifice, defectu expensarum necessariorum, remedium haberi nequit, Episcopum posse, atque etiam teneri. Docet nouissimè Tambur. de Matr. tr. 7. c. 4. § 4. n. 17. 3. Dispensare potest Episcopus, quando aliqui contraxerunt dispensatione impedimenti impetratâ, subreptitiè tamen ac proinde nullâ. per c. Quia circa de Consang. Pont. ibid n. 7. Denique in impedimentis, quæ superueniunt Matrimonio & impediunt petitionem debiti, v g. in cognatione spirituali vel affinitate. P. Bassæ cit. n. 4.

Vtrùm Episcopus dispensare possit in impedimentis dirimentibus, etiam ante contractum matrimonium in casu necessitatis, si non patet aditus ad Superiorem: vt si quis morti proximus ad legitimandos liberos, vel restaurandum honorem, vel pro

bono

bono pacis, deberet citò contrahere, &c. disputat Pont. *cit. n. 6.* & alij, quos allegat P. Bassæ, *ro. 2. V. Matrimonium. 3. n. 3.*

288. In impedimentis non dirimentibus, quæ proueniunt ex voto, in quo ipsi Regulares dispensandi vel comutandi facultatem habent, possunt ijdem tollere, vt tale votum habentes, & ab eo legitimè absoluti, saluâ conscientia possint contrahere matrimonium. Super alia impedimenta tam impediencia, quàm dirimentia, communiter nullâ penitus habent facultatem.

Afferunt aliqui Mendicantes habere priuilegium à Leon. 10. ad dispensandum cum ijs, qui in primo gradu affinitatis scienter vel ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in Iudicium productum, vt denuò contrahant, & in eodem item Matrimonio contracto maneant, prole etiam legitimâ. Ita refert Rossens. *in l. de causa Matrimonij Regis Anglia concessum per Bullam Augustiniani per totum Orbem existentibus.* De hoc priuilegio, licet alij communiter dicant vel non esse concessum, nisi fortè pro vnico solo actu, vel non esse in vsu, Chassain, tamen *de Priu. Regul. tr. 5. c. 5. prop. 3.* Non audeo, inquit, dubitare propter viri eminentis Sanctitatis & doctrine testimonium. Neque obstat 1. quòd non sit in

Dd 4

vsu,

CCLXXX.  
VIII.  
Regula-  
res.

usu, quoniam non constat de hoc non usu, cum  
 verjetur circa occulta, qua solis Confessario &  
 Pœnitenti sunt nota. Neque 2. quod Episcopi  
 eâ facultate careant, cum constat Regulares in  
 quibusdam casibus, privilegij aliquibus potiri,  
 quibus Episcopi minimè gaudeant, vt in casu  
 percussionis Clerici & alijs. Pro eodem retulit  
 Bass. V. Matrimonium. 9 n. 4. etiam Vera-  
 cruz. 2. p. Spec. c. 27. omisit autem totum in  
 editione altera Antwerp. 1643. quod de-  
 mum repositum est in nouissima Veneta  
 1655. cum remissione tamen ad Iudicium  
 Doctorum Idipsum quoque factum est de  
 duplici oraculo Greg. 13. pro Societate Iesu,  
 quorum vno, 24. Aug. 1576. concessit, vt in  
 ijs locis & Parochijs, vbi Conc. Trid. Decretum  
 de irritandis Matrimonijs clandestinis promul-  
 gatum est, & ab aliquibus non seruatum, qui  
 induci non possunt, vt iterum seruata formâ  
 Concilij contrahant, possint cum talibus dispen-  
 sare, vt inter se contrahant non seruata Con-  
 cilij formâ, & vt postquam ita contraxerint,  
 proles ita suscepta ipso facto legitima censean-  
 tur. Altero die 2. Sept. 1580. concessit, vt pos-  
 sint iſdem dispensare cum ijs, qui contraxerunt  
 cum impedimento criminis, qui non putant illi-  
 citum dare fidem de Matrimonio contrahendo  
 post mortem coniugis, viuente altero; imò pu-  
 tant iustissimum esse, vbi interuenit copula. Ho-

rum

rum meminit etiã P. Cypri. in Reg. c. 7. lect. 29.

Idem Greg. 13. 17. April. 1581. iisdem concessit, vt Confessarij Societ. Iesu, quos Generalis vel ex eius concessione Superiores subordinati nominauerint, possint in foro conscientie dispensare cum ijs, qui ab hereticis, schismaticis, vel a non proprio Parocho, etiam vbi Concilium Trid. particulariter promulgatũ est, Matrimonio iuncti sunt, vt inter illos sine vna cerimonia (ad quam hereticus non consentiret) sit verum matrimonium post dispensationem a Confessario factam, & post elicítum a liqua ratione a coniuge nouum consensum. Hic nota Clem. 8. postmodum generaliter declarasse, vbi nullus est Pastor, v. g. in Saxonia aut ditione heretica, validè contrahere Catholicos sine Parocho, vel etiam coram Prædicante. Ita testantur Coninc. de Sacra. d. 27. dub. 1. n. 12. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7. Petr. Marchant. in Resolut. notab. cas. 8.

Eodem die & anno concessit Idem Greg. facultatem Confessariis eiusdem Societ. in foro conscientie dispensandi cum ijs, qui in 4. gradu consanguinitatis vel affinitatis contraxissent, nec possent vlllo modo sine grãdi periculo thoro separari, vt elicito ab vtroq; coniuge nouo cõsensu, matrimonium absq; alijs solennitatibus sit validum. Eandem facultatem concessit inter Compãtres, & Commatres, qui Matrimonium

Dd 5                      inijsent

iuissent spirituali cognatione impeditum, etiamsi vterque coniugum Catholicus sit. Facult. Septentr. Societ. Iesu. V. Matrimonium. Vide inf. V. Missio.

CCLXXX.

IX.  
Priuslegi-  
um dispē-  
sandi ad  
petendum  
debitum  
Matrim.

289. Quantum ad petitionem debiti, quod possint Regulares dispensare, referuntur varia SS. Pont. Priuilegia, quæ tamen quia mera sint viuæ vocis oracula, valorem suum perdidisse, præter Lez. 10. 1. c. 19. n. 25. & 26. & 10. 3. V. Affinitas. n. 4. & alias, aduertit P. Elig. 10. 1. V. Incestus. in fin. Sed postmodum 10. 2. V. Priuilegium n. 8. Vers. Quintum est. Valde notandum, inquit, ex dictis supra not. 2. quod licet omnia viuæ vocis oracula essent reuocata per Bullam Urbani 8. nihilominus omnes Confessores Regulares priuilegiati expositi & approbati à suis Superioribus & Episcopis, possunt dispensare tam cū incestuosis ad petendum debitum coniugale, quàm cum illis, qui illicite Matrimonium contraxerunt cum impedimento voti simplicis Castitatis, vt etiam possint petere & reddere, quousque duret Matrimonium, & c. Præter authoritates, Ratio illius præcipua est, quia Pius 5. Greg. 13. & Paul 5. Priuilegia Minorum etiam viuæ vocis oraculo concessa, ex certa scientia, diplomate & constitutione confirmarunt: Vnde demum ex dictis, ait, videtur mihi hæc sententia posse probabiliter sustineri hoc tempore &

& ad praxin reduci, non obstante dictâ Urbanâ  
 reuocatione, sub qua predictæ concessiones non  
 videntur comprehendî, &c. Idem sine vlla du-  
 bitatione asseuerat nouissimè Tamburinus  
 de Matr. tr. 2. c. 6. n. 9. eo quod Priuilegi-  
 um hoc habeatur per Bullam. Vid. V. Priuilegi-  
 um n. 420. V. Missio. Insuper & Chassa-  
 in. de Priuileg. Regul. tr. 5. c. 5. prop. 3. & 4. &  
 hic n. 295.

§. 2. MODVS POSTVLANDI  
 Dispensationem.

290. DE hoc fusius differunt Sanch. l. 8.  
 de Matr. disp. 24. & 25. Pont. ibid.  
 l. 8. c. 17. P. Bassæ. 10. 2. V. Matrimonium.  
 3. Breuiter dico, duo in primis explicanda  
 esse, 1. ipsum impedimentum seu impedi-  
 menta, 2. causas quibus moueatur Ponti-  
 fex ad dispensationem concedendam. Pro  
 utroque casu generatim cauendum est, ne  
 taceat verum, quod specialiter exprimen-  
 dum iura vel stylus Curia præcipiunt; neq;  
 exprimat falsum, quod Superiori causam  
 præbeat concedendi dispensationem; Nam  
 priori modo *subreptitia*, posteriori dicetur  
*obreptitia*, & utroque casu nulla erit.

CCXC.

In petiti-  
 one Dis-  
 pensatio-  
 nis expri-  
 menda  
 Impedi-  
 menta &  
 Causa.

291. Specialius verò rem declarando;  
 Impedimenta primùm simpliciter, vt in se  
 sunt, explicari debent, secundùm species,

CCXCI.

Species,  
 gradus  
 & numus  
 gradus 16.

gradus & numeros, præsertim in gradibus consanguinitatis & affinitatis: In quibus si Sponsi habuerunt inter se copulam sub spe & intentione facilius obtinendi dispensationem, necessarium insuper est, non solum exprimere copulam, sed etiam quod ex tali animo habita sit. Quando tamen ex parte vnius tantum fuit habita copula ex tali intentione, tunc non est necessarium exprimere animum & dolum alterius. Verum si adsint aliæ sufficientes causæ dispensationis, quæ solæ absque allegatione copulæ valeant obtinere dispensationem, tunc necesse non erit exponere copulam, atq; adeo nec eam intentionem, quâ habita est. Et quamuis in Rescripto dicatur, *si copula non fuerit*, non tenentur, qui dispensationem petunt, ad interrogationem Ordinarij de copula respondere, sed possunt sine peccato negare, reticendo in mente, *vt tibi dicam*; & valebit adhuc dispensatio, si obtenta sit pro foro externo, dum modò ea copula non probetur in foro externo. Si autem impetrata sit pro solo foro conscientiæ, & hoc præcipitur, vt si committatur executio talis dispensationis Confessario cum clausula, *nisi copula fuisse inter eos habita, &c.* tunc tenentur Pœnitentes volentes validè contrahere fateri veritatem Confessario interroganti,

roganti, aliàs executio erit nulla & Matrimonium irritum. P. Bassæ. cit. n. 7. & 8. cum alijs,

292. Quando adsunt plura impedimenta; Quidam valdè probabiliter sustinent, satis esse in diuersis petitionibus singula impedimenta proponi, & quamlibet dispensationem illarum per se obtentam validam esse. Sed alij probabilius arbitrantur omnia impedimenta coniunctim in eadem petitione esse explicanda, atque ita Curia stylum requirere. Tamen quando adessent duo impedimenta, vnum consanguinitatis, affinitatis alterum, contracta ex copula illicita secretò habita cum consanguinea in 1. vel secūdo gradu alterius Sponsi, & sine infamia mulieris petentis, explicari nõ posset in publica petitione, tunc permittitur, quod in vna petitione publicè petatur dispensatio illius impedimenti publici, & postea per viam S. Pœnitentiariæ obtineri poterit alia dispensatio secreta illius impedimenti secreti pro foro conscientia, faciendõ mentionem in ista petitione alterius impedimenti publici, de quo obtenta esset vel obtinenda dispensatio à S. Põtifice, & tunc valebit vtraque dispensatio, Bassæ. cit. n. 14.

CCXCII.  
Coniunctim.

CCXCIII.  
Causa dispensanda.

293. Ad causas quod attinet, quæ appellantur ad mouendum Pontificem ad licitè dispensationem.



dispensandum (validè enim ipsum de plenitudine potestatis concedere posse dispensationem in impedimentis humano iure dirimentibus, certum est) generatim loquendo sunt admodum variæ. Hæ verò potissimum, utilitas aut necessitas communis, vel priuata, alijsque concurrentes casus, qui communiter ad ipsius Pontificis iudicium remitti solent; sufficit enim quòd ipse rationabiliter iudicet adesse iustam & rationabilem causam ad dispensandum in aliquo casu.

*Speciales.*

Speciales tamen, quæ hodie in praxi versantur in Romana Curia, pro quibus dispensationes ad contrahenda Matrimonia conceduntur, sunt 1. Extinctio magnæ litis, ad quam reducitur pax consanguineorum, euitatio scandalorum inter cognatos, & quando dispensatio est quasi remedium necessarium obuiandi alicui magno delicto. 2. quando ob loci angustiam vel nimis propagatam fœminæ cognationem in loco insigni quem inhabitat, non reperitur Matrimonium æquale, præterquam cum consanguineis & affinibus. 3. defectus dotis competentis, ut fœmina iuxta suam conditionem, nubat extraneo æquali. 4. Conservatio diuitiarum in eadem cognatione, ne causâ dotis distribuantur ad aliam cognationis

nationis familiam, quando ex ampliffimæ sunt. 5. Illuſtris familiæ conſervatio in eodem ſanguine. 6. Excellentia meritorum ſive diſpenſationem petentis, ſive eius cui petitur. 7. Proles habita, ex conſanguinea, quando bona fide ſuſcepta eſt; ſecus autem ſi mala fide. De quibus Sanch. l. 8. diſp. 19. per totam.

§. 3. DE EXECVTIONE DI-  
ſpenſationum Papalium.

294. **S**ummus Pontifex non ſolet per ſe **CCXCIV.**  
ſcõmuniter diſpenſare, neque ſum- *Executio*  
mus Pœnitentiarius, ſed hoc committitur *Diſpenſationum*  
iuxta Curiz illius ſtylum in expeditioni- *committi-*  
bus ſeu delegationibus ad Italiam, Vngari- *tur Vicariis*  
am &c. *Vicario Episcopi*; ultra Montes au- *Episcoporum.*  
tem Alpinos, vt in Germania, Gallia &c. *Officiali.* Sed perinde eſt, cum *Vicarius* &  
*Officialis* idem ſignificent, & in effectu nul-  
la inter eos, niſi in nomine verſetur diſfe-  
rentia, vt obſeruat Barboſ. *de offic. & Potest. Episc.* p. 3. alleg. 54. n. 53. Huiuſmodi com-  
miſſiones, quia forum externum concer-  
nunt, & extra ſphæræ Regularium ſunt,  
quomodo expediendæ ſint &c. videatur  
Sanch. l. 8. *de Matr. diſp.* 35. *Filliuc. rr.* 10. p.  
2. n. 363. *Et alij.*

295. Aliud

CCXCV. 295. Aliud genus Dispensationum Pa-  
*Pro foro* palium est pro foro conscientia interno,  
*Conscien-* quæ à S. Pœnitentiaria Romana expediun-  
*tia Magi-* tur cum Inscriptione: *Discreto Viro, Con-*  
*stris Theo-* fessori, Magistro in Theologia vel Decretorum  
*logia vel* Doctore, ex approbatis ab ordinario per latorem  
*Decreto-* presentium specialiter eligendo &c. Eiusmodi  
*rum D.* litteras apperienti & exequendi facultatem an habeant Regulares non graduati ex Priuilegio Greg. 13. controuertitur. Refert hoc Lezan, *V. Litteræ Apostolicæ. n. 15.* & negatiuè respondet; cum Priuilegium istud sit concessum duntaxat Generali Societ. Iesu Claudio Aquauina; non autem successoribus ipsius, multo minùs per communicationem Regularibus alijs. In contrariu tamen sunt communiter DD. videturque vsu receptum in primis in Societate, vt constat ex eiusd. *Comp. Priuil. V. Confessarius. § 3.* & in Summ. Priuil. Septentr. ac Tambur. nouissimè hoc ipso Anno 1662. impresso opere de Matr. *rr. 2. c. 13. §. 1. n. 6.* Atque sic etiam ad alias Religiones extendunt Portel. *in Dub. Reg. V. Confessoris approbatio. n. 34.* Peyr. *de Reg. Subd. q. 1. c. 21. §. 2.* Et præter alios plures P. Elig. *ro. 2. V. Matrimonium. 3. n. 18.* ac Chassain. *de Priuil. Reg. rr. 5. c. 5. prop. vlt. Si sit, inquit, dispensatus à suo Prouinciali, &c. cum reliqui communi-*

ter ferè requirant approbationem seu designationem ad hoc à P. Generali. Sed neutrius de necessitate requiri conuincitur ex ipso P. Chaff. *rr. i. c. 3. prop. 7.* quâ docet, *Priuilegiarum, quæ habent vt subditi vri illis non possint, nisi à Generali facultas concedatur, communicationem fieri absque illo onere.* Quare sufficere videtur apud alias Religiones, quibus eiusmodi restrictio in vsu non est, generalem illam licentiam suorum Prælatorum, quâ approbati sunt ad Sæcularium Confessiones audiendas, absque noua & speciali licentia, nisi aliter ipsi Superiores ordinauerint; quâ ratione Idem Chassain. pauld ante vt probabilem sententiã admittit, quæ asserit Confessarium Regularem per concessionem *Iul. 2.* posse in Impedimento petendi debitum coniugale dispensare, etiamsi ad hoc specialiter non sit à suis Superioribus deputatus.

Dispensationes, quæ dantur ab Ordinarijs seu Nuncijs Apostolicis, expediendæ sunt per eos, quibus tales ipsi commiserint.

§. 4. *QVIS MODVS OBSERVANDUS in exequendis Dispensationibus Papalibus.*

296. **C**Um in eiusmodi litteris tot plerumque

CCXCVI.  
Observanda in Executione  
Disf.

runque occurrant ambiguitates & contradictiones, vt vix peritiores ab eis extricandis sese possint expedire, atque vt aduertit Urban. ab Ascens. in *Theol. Moral. tr. 2. p. 2. dist. 1. c. 4. Reg. 7.* Officiales Pœnitentiariæ ferè semper vtantur formâ quâdam cõmuni causas allegandi, quæ tamen sæpius in veritate casûs particularis subsistere non reperiuntur; aliquando etiam Clausulas inserant omninò contrarias iuri communi, etiam Diuino, vt quod debeat aliquid reuelari coniugibus, ex quo sequeretur reuelatio Confessionis, &c. Meritò requirunt Authores eiusmodi facultatem concedendam non esse nisi valdè doctis, & quidem præter Theologiæ Doctrinam, sint etiam imbuti Iure Canonico. Quæ particularis commissio vbi non sit, ex hoc saltem addiscere licet, quantâ cum cautelâ quis debeat expeditiones earum fugere potius, quàm imprudenter præsumere. Si qui tamen sunt, qui id sibi licere credunt, & exequi volunt, non grauentur desuper legere, quæ circa hæc tradunt cit. Urban. loco allegato & Regulâ sin. illius tractatus. Portel. in dub. Reg. V. Confessor aperiens litteras Papæ. P. Elig. vbi supra. Sanch. & alij.

Quanti valeant Dispensationes datæ pro foro cõscientiæ? præsertim si postmodû palàm inotescant. Vid. V. Forû. n. 205. & V. Occultum.

§. 5. AN ET QUOMODO FA-  
CTA Dispensatione Matrimonium  
innouandum?

297. **V**T paucis rem istam expediam, CCXCVII.  
ac simul etiam satisfaciam alijs *Facta di-*  
casibus, quibus Matrimonia inualidè *spensatio-*  
contracta demùm validari contingit, Suppono *nequomo-*  
duplici ex causa Matrimonium inualidè *do inno-*  
contrahi, 1. defectu consensùs, vt si ambo *uandum*  
sponsi, vel altereorum promisit fictè, cum *Matrimo-*  
metu graui. 2. Ratione alicuius impedi- *nium.*  
menti dirimentis, quod quamdiu etiam du-  
rat, Matrimonium esse nequit. Potest verò  
impedimentum eiusmodi esse vel publicum  
vel secretum & occultum. Hoc præmissò

298. Dico 1. Quando Matrimonium  
fuit inualidum defectu consensùs vtriusq;  
contrahentis, vel propter metum vtriusque  
incussum, tunc ad validandum Matrimo-  
nium requiritur consensus vtriusque. Ita  
communiter DD. qui etiam contra Syll.  
*V. Matrimonium 2. q. 11.* docent non suffice-  
re internum etiam vtriusque coniugis, nisi  
aliquo signo externo manifestetur, quia  
Matrimonium inualidum defectu consen-  
sùs vtriusque de nouo ita celebrandum est,  
ac si nunquam priùs celebratum fuisset.

CCXCIX.  
*Vnus tã-*  
*tum.*

299. Dico 2. Quando alterutri contra-  
hentium defuit consensus, satis est, vt ille  
qui

Ec 2

qui

qui minùs legitimè consensit, denuò consentiat, modò alter, qui antea verè consenserat, non reuocauerit suum consensum; quia ex parte alterius coniugis adsunt omnia requisita ad Matrimonium; solus autem deest consensus illius, qui minùs legitimè consensit. Ita Bonac, *de Matrim. q. 2. p. 9. n. 1. P. Elig. V. Matrim. 3. n. 7.* qui etiam adiungunt, opus non esse, vt alteri coniugi intimetur prius Matrimonium fuisse nullum, sed satis esse in hoc casu, si ille internè in corde suo consentiat, ita enim sufficienter suppletur, quod antea deerat.

CCC.  
*Altorum  
impedi-  
mentorum.*

300. Dico 3. Quando Matrimonium propter aliquod impedimentum dirimens fuit invalidè contractum, vt valideretur post impedimenti cessationem, vel impetratam illius dispensationem, necessarius tunc est vtriusque consensus externus seu signo aliquo externo expressus, cum prius matrimonium perinde se habeat, ac si nullo modo fuisset celebratum. Quare non sufficit consensus animo tantum factus: Et cum alter sit inscius impedimenti, debet is de priori nullitate certior fieri saltem remotè & quasi conditionaliter, v. g. si mulier virum benè erga se affectum sic alloquatur: *Nunquid ita me diligis, vt si me non duxisses, duceres modò? ac etiamnum vis me coniugem tuam?*

quam? Quando tamen Matrimonij nullitas alteri manifestari non potest, aiunt Sanch. l. 2. disp. 36. n. 8. Conin. disp. 24. dub. 10. n. 86. & alij, sufficere vt ipsa copulam habeat affectu maritali, cum enim is antea validè consenserat, & in eodem consensu non solum habitualiter, sed etiam actu, saltem virtuali perseveret (nā ex eo mouetur vt partē tanquam coniugem tractet) accedente legitimo consensu partis exterius expresso, fit verum matrimonium.

Aduertendum hīc, cum per dispensationem impedimentū tollitur, non esse validum Matrimonium antequam Confessarius virtute mandati S. Pontificis vel Pœnitentiarij dispenset, aliud enim est Mandatum, aliud Dispensatio.

301. Dico 4. Matrimonium ex impedimento prorsus occulto invalidum, quando semel coram Parocho & testibus celebratum fuit, cessante impedimento, vel obtentā dispensatione, vt validetur non est opus, vt denud contrahant præsentē Parocho & testibus. Ita ex communi DD. sententia, praxi & vsu, Itemque declaratione S. Congr. Card. Bonac. de Matrim. q. 3. p. 13. n. 7. qui hoc etiam casu asserit Confessarium posse virtute Pontificiæ facultatis dispensare, quamuis in Bulla soleat hæc Clausula

Ec 3

sula

CCCI.  
Occulto  
rum.



sula apponi, si ita est, cum eis dispensato, vt inter se publice & seruata Trident. forma contrahant. Idem censet Conin. disp. 24. dub. 10. n. 86. contra Bonac. quando vnicus tantum est conscius illius impedimenti, ita vt probari nequeat in iudicio.

## M I S S A.

302. Priuilegia circa Missam, locum, tempus aut numerum concernunt.  
 303. Locus sacrificandi. 304. Priuilegia.  
 305. Celebrandi Hora, cum Priuilegijs.  
 306. Priuilegia circa Numerum remissionē.

CCCLII.  
 Priuilegia  
 circa Mis-  
 sam tri-  
 plicia.

302. **P**RO digniori Diuinæ huius actionis exercitio, ad eò nobis frequentis, & occurrentium casuum notitiā, cum Rubricæ Missales, & earum celebris Commendator Gauantus passim obuius, alijque quam plures accuratius agant, ijs suppositis, hic solum refero Priuilegia, quæ in hac materia potissimum habentur triplicia, aliqua locum sacrificandi, alia tempus, alia demum numerum concernentia.

CCCLIII.  
 Locus sa-  
 crificandi.

303. Ex Præcepto C. Nullus Presbyter. de Consec. dist. 1. Missa celebranda est in Ecclesia consecrata ab Episcopo aut saltem benedicta & in Altari lapideo consecrato, integro & non enormiter fracto. P. Elig. 10.  
 1. V.